



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

Ab Urbano II. Creatj.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

quod ipsum Gratianus (meo quidē animo) adumbrare conatus est.

De priuilegiis Romanæ Ecclesiæ lib. 4. Manuscript. in Bibliotheca vaticana.

AB VRBANO II. CREAT.

S. BERNARDVS DE VBERTIS Florentinus ex Abbate Vallis Vmbrosæ Cardinalis, cuius vita ab Aucto monacho vallis Vmbrosæ, edita est; & merita in confesso sunt, scripsit, vt refert Pocciantius,

Historiam Congregationis suæ Vallis vmbrosæ.

Sermones quosdam. Obiit anno 1133. sanctitate clarus, quam consecuta tempora abundè comprobarunt.

Parmæque in Cathedrali cum hoc iacet Epitaphio,

Diuus Bernardus ex nobili Vbertorum familia in Collegium Cardinalium ab Urbano 2. cooptatus: à Paschale 2. ratam Parmensium electionem faciente, creatus Parmæ Episcopus, ex veteri sepulchro, ubi per quadringentos & amplius annos iacuerat, in proximam aram translatus est: anno 1548. die 8. Iulij Paulo 3. Pont. Max. sedente.

IOANNES CAIETANVS Cardinalis, qui postea Gelasius Papa 2. scripsit

Contra Henricum Imperatorem, vt refert Petrus Diaconus.

Registrum Paschalis 2.

Passionem S. Erasmi Episcopi & martyris profã.

Passiones Sanctorum Erasmi, Anatholiæ, & Cæsarij rhythmicè.

Epistolasque nonnullas quas habes apud Malmesburiensem & Baronium. Obiit apud Cluniacum,

anno 1119. & inibi cum hoc Epitaphio sepultus est.

*Vir grauis & sapiens actu, verboque Ioannes:
Cum prius ex monacho pro multa strenuitate,
Archileuita foret & Cancellarius urbis:
Præsule Paschali meritis ad sidera raptus:
Promeruit tandem sacram conscendere sedem.
Dignus post primum Gelasius esse secundus.
Sed quia Rege fuit, non recipiente, leuatus,
Horrendum fremuit Princeps, & filia dulcis
More suo, profugum suscepit Gallia Patrem.
Sic licuisset ei (pro certo credo) sub ipso,
Virtus & Pietas & honestas cresceret omnis,
Et pax Ecclesia toto floreret in orbe.
Nam rapuit mors atra virum, cum Pontificatus
Vix ageret primum, vir venerabilis, annum:
Bina dies iam restabat cum Cluniacensi
Dormiit in proprio Romani iuris asylo.
Hic igitur positus dilectos inter alumnos
Cum patribus sanctis requiescit, et optat ut orbis
Conditor & Iudex veniat, quandoque potenter,
Et cineres lapsos in pristina membra reformet.
Felix inde nimis semper, Cluniace, manebis,
Quod Pater orbis Apostolicus, sumusque sacerdos
Ecclesia, matrisque tue specialis, apud te,
Transit ad superos, in te requiescit humatus.
Nec minus hunc etiam felicem credimus illum,
Cui dedit ipse pius magno pro munere Christus,
Ut monachi monachum, patrem quoque pignora chara
Iugiter aspicerent, lacrymisque rigando sepulchrum,
Sacris in precibus specialem semper haberent.*

GREGORIUS de Papa Cardinalis qui postea Inno-
centius Papa 2. scripsit

Commentaria in Canticum Canticorum.

Epistolasque plures, quarum nonnullas habes apud S. Bernardum, Petrum Cluniacensem, Surium & Baronium. Romæ iacet in æde S. Mariæ trans Tyberim cum hoc Epitaphio.

Hic requiescunt venerabilia ossa sanctissimæ memoriæ Domini Innocentij Papæ 2. de domo Paparescorum, qui præsentem Ecclesiam ad honorem Dei genitricis Mariæ, sicut est à fundamentis, propriis sumptibus renouauit. Sal. anno 1142. S. A. D. 1148.

A PASCHALE II. CREATI.

cuius plures habes epistolas apud Dodechinum, Guilielmum Tyrium, Anselmum Cantuariensem, Guillelmum Malmesburiensem & Baronium.

LEO MARSICANVS Episcopus Cardinalis Ostiensis sanctitate & doctrinâ præcellens, scripsit Chronica monasterij sui Casinensis lib. 3. Sermones de Natiuitate Domini & Paschate. Epistolas plures.

Historiam peregrinorum.

Vitalque sanctorum Mennatis, & Ianuarij Monachi Casinensis.

LAMBERTVS DE FAGNANO Bononiensis Cardinalis, qui postea Honorius Papa 2. scripsit.

Rescriptum pro Concilio Nannetensi.

Epistolas ad Romanos de Pace, vt Donius sua in Bibliotheca author est, aliasque plures, quas habes apud Petrum Cluniacensem, Venerabilem dictum,